



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Lvdivicvm Et Carlomannvm Reges.
Rogat vt cum Carolo imperatore consentiant de reuocanda & Romam
mittenda Angelberga: vbi eam ita se custoditurum pollicetur, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

procul abiecta, quoniam haftenus Dei timore postposito, multos tuæ iniquitatis lepra coinquinasti, & tantorum malorum auctor esse non dubitasti, præcipimus te cum omni celeritate reuerti ad veram præfati pontificis tui satisfactionem cum filiis, & tuis omnibus complicibus: quorum incensor adhuc malorum post tantas correctiones esse non timuisti, & eius salubribus monitis subditus, & subiectus existas. Omnibus tamen ecclesiæ deprædationibus in integrum restitutis, & secundum ipsius ecclesiæ priuilegium emendatis, atque solutis: quod si post huius nostræ præceptionis relectam epistolam in tua iniqua obstinatione perdurans, vt dictum est, ad præfatum pontificem tuum redire satisfaciendo contempseris, ex auctoritate Dei Patris, & Filii, ac Spiritus sancti virtute, beatorumque apostolorum Petri ac Pauli, & omnium sanctorum patrum, nostraque apostolica sanctione secundum iam dicti dilecti confratris nostri archiepiscopi, & episcoporum sententiam iam olim in te prolatam, iubemus te cum filiis & complicibus tuis omni ecclesiastica esse communione priuatum, & a cœtu, atque societate omnium Christianissimorum, vtpote tantorum malorum perpetratores inconuertibiles, seclusos & damnatos existere; quousque omnia, quæ perperam gessistis, emendando, canonicèque satisfaciendo, veniam condignam percipere mereamini. Data xv. Kalendas Martii, indictione xiv.

EPISTOLA CCLXIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM ET CARLOMANNVM
REGES.

Rogat vt cum Carolo imperatore consentiant de reuocanda & Romam mittenda Angelberga: vbi eam ita se custoditurum pollicetur, vt contra ipsos moliri nihil possit.

Ludouico & Carlomanno regibus, & Hugoni abbati.

NOSSE volumus vestram dilectionem, quia spiritalem filium nostrum Carolum serenissimum imperatorem Romæ nobiscum degentem rogauimus, vt spiritalem fi-

Concil. Tom. 24.

Qq ij

liam nostram Angelbergam Deo deuotam, quæ se sancto Petro apostolo, & nobis, cum suis omnibus commenda- uerat; quam etiam coniux illius diuæ memoriæ Ludo- uicus Augustus adhuc uiuens nostræ tuitioni specialiter submiserat, ab exulatu reduceret, & apud nos eam Ro- mam, ubi nulla iam de illa sinistra suspicio oriri posset, pro amore Dei, & Christi clauigeri ipsius beati Petri apostoli, simulque nostro dirigeret. Quod ille libenter se facturum promittens, quantum comperimus, uestrum super hoc præstolatur assensum. Et quidem nos de communi dile- ctione & pace siue concordia uestra gaudemus, & Deo pro hoc innumeras grates referimus. Sed tantum de ipsius spiritalis filia: nostræ recuperatione & reditu vos depreca- mur, quantum, si ipsa ad nos reducta fuerit, ut nihil peni- tus iam, vel contra eundem imperatorem, vel contra vos agere possit, nostris vos attestationibus certissimos reddi- mus. Idcirco iuncta uestra deuotio cum eiusdem Augusti obedientia, absque omni protelatione, iam dictam Deo de- uotam feminam, quam ad limina apostolorum, a quorum confessione altarium nostro semper tuendam præsidio sus- cepimus, pro amore Dei & nostro remittere, quantum in uobis est, non omittere. Quia si hic apud nos rediens habi- tauerit, tanta custodia circumspecta, nobis credite, erit, ut nec Bosoni, nec alii homini, ad perturbationem impe- rii, siue regni, quodlibet adiutorium vel auxilium uerbis aut scriptis præbere quoquomodo ualeat. Verumtamen unum est, quod uobis ueraciter, & unde occasionem uos ad nos contemnendum non possitis assumere, hoc ecce proponimus: scilicet, si eandem Angelbergam uel in mo- dico contra imperialem aut uestram uoluntatem aduersi quippiam moliri aut uelle manifestis cognouerimus indi- ciis, præsentia illam reddere ac remittere imperiali- bus satagemus obtutibus: quatenus quæ disciplinam for- te recipere, quod nec optamus, distulerit, non solum mundana uestra iudicia non euadat, uerum etiam nec no- stram miserationem, quæ delinquentibus parcere con- sueuit, inueniat. Ideoque, carissime fili, estote in hoc no- stri cooperatores & adiutores, & audiat nos continuo ex- cellentia magnitudinis uestræ, ut & uos a Domino exaudi- ri mereamini, & per felicia tempora regni gubernacula

moderantes, cum Christo regnum, quod finis nullus angustat, intercedentibus beatis apostolis, capeffere valeatis. Data IV. Idus Martias, indiçtione XIV.

EPISTOLA CCLXIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CLERVM MEDIOLANENSEM.

Recipit Hadericum sub tutela sedis apostolicæ, & excommunicat omnes, qui illi, vel eius ecclesiis molestiam intulerint.

Omnibus reuerendissimis episcopis & sacerdotibus, seu clero, ac populo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ.

BONI patrisfamilias, quem bene & fideliter laborantes remunerasse cognoscimus, informati exemplo, ex apostolicæ auctoritatis & miserationis magisterio, seu beneuolentia, omnibus, quos pro ecclesiæ Dei vtilitatibus fideliter desudare conspiciamus, subuenire debentes, opportunum ac necessarium nos oportet præbere auxilium. Igitur quia te Hadericum venerabilem presbyterum, & abbatem sacrorum monasteriorum beatorum scilicet Geruasii & Protasii, atque Simpliciani, nec non ex xenodochii * sanctorum Cosmæ & Damiani, quod Romanorum dicitur, & alia tua beneficia, vel patrimonia intra vel extra ciuitatem Mediolanensem constituta, fideli deuotione, totoque mentis conamine, pro pristino statu & vigore, atque restitutione sanctæ Mediolanensis ecclesiæ ter quaterque in obsequio Ansperti reuerendissimi archiepiscopi tui, atque confratris nostri deuotum, atque in omnibus fidelissimum permanere, atque decertare omnino, & euidenter comperimus, & legationem Ambrosianæ ecclesiæ catholica fide, te & prout vires suppleuerunt, ardentissimo ardore explere, crebro cognouimus. Et ob hoc aliquos contumaciæ liuore aduersum tuam commotos esse dilectionem, vel ob alias causas inuidiæ, qui & modo labiis dolosis zeli contra te concitati, & postmodum callidis argumentis nociuam tibi moliuntur, nostro statuto decernimus, atque Dei omnipotentis auctoritate, beatique Petri apostolorum principis, & nostra sanctione statuimus, nulli vnquam archiepiscoporum, vel sacerdotum, aut cuius-

Qq iij